



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CXXI. Differentia 12. Iure Canonico non currit præscriptio tempore prælati
male alienantis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Iure Canonico non currit prescriptio tempore praelati male alienantis, c. Si Sacerdotes 16. q. 3. At iure civili statim curreret prescriptio post alienationem, Auth. Quas actiones, C. de sacros. eccles. Bartol. 155.

I. **C**asus in *c. Si Sacerdotes*, citato hic est: Praelati quidam, cum viverent, possessiones ecclesiarum injuste alienarunt, tradendo forte nepotibus, & cognatis: unde nata quaestio est, an si 30. annorum spatio bona ista tenuissent nepotes, praescriptione tuti censerentur? Respondet *Synodus Toletana IX.* minimè tutos esse: quia praescriptio non currit in vita Praelati male alienantis, sed illo mortuo, quia contractus non sumpsit initium ab origine aequitatis.

II. Quod civile jus attinet, *Auth. Quas actiones*, aliud non loquitur, quam actiones, quae alias triennali praescriptione excluduntur, si loco religioso competant, 40. annis excludi, *c. Volumus 16. q. 4.* sed post alienationem etiam injuste factam statim currere videtur, si accipiens à Praelato male alienante in bona fide est, existimans ejusmodi alienationem Praelato non esse prohibitam: quemadmodum usu venit ementibus rem furtivam, quando à vero Domino vendi arbitrantur. Verùm de ignorantia juris hoc multi non admittunt, &

contrarium probat *Layman l. 3. Traët. I. c. 8. n. 11.* Medina tamen quamlibet ignorantiam inculpata tam Iuris, quam facti sufficere in foro conscientiae ad praescribendum existimat. Quod de ignorantia juris dubii admitti potest, non verò de ignorantia juris noti, & clari, *l. Iuru 4. ff. de iur. & facti ignor.* Vbi legimus, Iuris ignorantiam in usucapione negatur prodesse: facti verò ignorantiam prodesse constat. Item *l. Error, ff. eod.* Iuris error nec feminis, nec compendiis prodest. His tamen in suo valore, & pretio relictis *Medina* opinio probabilis manet, ut fufius à *Lejano* declaratur *c. 6. D. 5. V.*

Felin. in c. de quarta, de praeser. Azore.

III. l. 1. c.

18. q. 6.
